

In nomine sanctę et individue trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum cautela, qualiter nos interventu et hortatu dilectę contectalis nostre Theophanu coimperatoris augustę pro remedio anime genitoris nostri equivoci et coimperatoris augusti nec non et pro nostra nostrorumque salvatione nostre proprietatis castella quedam et loca in partibus Selavonie 5 Doblin et Hwoznie nuncupata in pago Dalminze seu Zlomekia vocato iuxta fluvium Multha dictum et alia quedam in ripa Eluię fluminis Prętokina, Clotnie et Wozgrinie vocata in pago Nikiki vel Mezumroka dicto in comitatu Ditmari comitis sita ad quendam locum Mimelebo dictum in honorem sanctę dei genitricis Marie cum monachis sub monastica institutione et regula degentibus a nobis speciali devotione et sumptu inceptum 10 et constructum, ubi idem iam prefatus genitor noster diem sortitus est ultimum, cum burgwardiis et omnibus utensilibus illuc rite pertinentibus in proprium tradidimus — —

Hildiboldus episcopus et cancellarius ad vicem Willigisi archicapellani notavi.

Data XII. kal. aug. anno dominicę incarnationis DCCC. LXXXI., anno vero regni secundi Ottonis XXI, imperii autem XIII; actum Walahusun.

15

## 29.

*Papst Benedict VII. erklärt, daß auf der am 9. September zu Rom gehaltenen Synode das Bisthum Merseburg aufgehoben und der jenseits der Saale gelegene Theil dieser Diöcese den Bisthümern zu Zeitz und Meissen zu besserer Dotirung überwiesen worden sei, das Bisthum Meissen aber neben andern, wie bisher, den Erzbischöfen von Magdeburg untergeordnet sein solle.* [Rom], 981 Sept. 20

*Hdschr.: Cop. in Liber privil. s. Maur. fol. 6<sup>b</sup> (A) und Cop. 6 fol. 117<sup>b</sup> (B). Staatsarchiv Magdeburg.*

*Gedr.: Cod. dipl. Sax. reg. II. 1, 12. Jaffé 2915.*

*Ann.: Vergl. Einl. 178 Ann. 81, 179 Ann. 87. S. A. 329 Ann. 81, 330 Ann. 87.*

Ego Benedictus sanctę catholicę et apostolicę Romanę ecclesię septimus presul omnibus confratribus et coepiscopis Gallię atque Germanię salutem. Concessę nobis 25 apostolicę speculationis cura compellimur, ne si quicquam in sancta ecclesia inconposite geritur, a nobis in die iudicii districtius exquiratur<sup>a)</sup>, debite studio caritatis pro statu sanctarum dei<sup>b)</sup> ecclesiarum tranquillitateque fratrum nostrorum episcoporum studiosius vigilare, ut Christo preveniente status ecclesiastici sacramenti fructuosus semper celesti iudicio conprobetur. Atque ideo nunc et in posterum omnium Christi fidelium caritati 30 liqueat, nos in basilica salvatoris nostri Iesu Christi, cui Constantiana nomen affixum est, cum episcopis, presbyteris, diaconibus omni que Romanę matris omnium ecclesiarum ecclesię ordine convenisse multaque sanctę dei ecclesię utilia mutuato sermone contulisse, inter que primum emersit, quomodo Halberstatensis ecclesie sue diocesis parte multata a pristino sue dignitatis honore pene prorsus exciderit. Nam ut in ipsa sinodo relatum 35 est, Otto quondam inperator augustus nostri spiritualis filii equivoci et coinperatoris Ro-

<sup>ex</sup>  
29. a) requiratur. b) dei übergeschrieben.